



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

XLI. Quando Karolus Metis coronatus est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

ADVENTIATIO
KAROLI REGIS.

CAP. I.

Volumus vos scire quia secundum consuetudinem antecessorum nostrorum consideravimus in hoc placito cum Episcopis & ceteris fidelibus nostris de honore sanctae Ecclesiae & Episcoporum ac ceterorum servorum Dei, ut debitum honorem habeant, sicut tempore antecessorum nostrorum habuerunt. & hominibus fidelibus nostris, unicuique in suo ordine, legem & justitiam conservabimus, sicut eorum antecessores tempore antecessorum nostrorum habuerunt.

I I.

Et volumus atque iubemus ut vassalli Episcoporum, Abbatum, & Abbatissarum, atque Comitum, & vassorum nostrorum talem legem & justitiam apud seniores suos habeant sicut eorum antecessores apud illorum seniores tempore antecessorum habuerunt. Et si aliquis Episcopus, Abbas, aut Abbatisa, vel Comes, ac vassus noster suo homini contra rectum & justitiam fecerit, & se inde ad nos reclamaverit, sciat quia sicut ratio & lex atque justitia est, hoc emendare facimus.

I I I.

Et volumus atque iubemus ut Episcopi atque Abbates, Comites, ac vassi nostri, concordia dilectione & unanimi voluntate ad Dei & sanctae Ecclesiae ac nostrum & regni nostri honorem & statum atque communem nostram salvationem decertare procurent ut pax & justitia & vera cum Dei voluntate concordia inter nos omnes & in regno nostro maneat, & omnes ita sint semper parati ut si nobis necessitas evenierit, ad defensionem patriae contra paganos aut contra alios Dei & nostros inimicos, sicut consuetudo fuit tempore antecessorum nostrorum, absque mora, statim ut eis nuntiatum fuerit, possint venire.

I V.

Et volumus ut sciatis quia commendavimus ut unusquisque de sua opera tale certamen habeat sicut scit necesse esse ad defensionem istius sanctae Dei Ecclesiae, secundum nostram commendationem. Gratias vobis agimus quia fideliter secundum nostram commendationem in nostro venistis servitio. Et ite cum Dei gratia sani & salvi, & Deus nobis concedat ut iterum cum sanitate & gaudio ad suam voluntatem reconjungamur.

TITVLVS XLI.

Quando Karolus Rex Metis coronatus
est in regno Hlotharij.

ANNO INCARNATIONIS DOMINICAE DCCCLXIX.

indictione secunda, v. Idus Septembris, Metis civitate in Ecclesia sancti Stephani martyris, hac qua sequuntur capitula Adventus Episcopus ipse civitatis coram Rege & Episcopis qui adfuerunt, publice populo & scripto & verbis deminavit.

CAP. I.

Vos scitis, & multis in plurimis regnis est cognitum, quantos & quales eventus tempore senioris nostri, quem hactenus habuimus, pro causis notissimis communiter sustinimus, & quanto dolore quantaque angustia de illius infausta morte nuper cordibus percussi sumus. Unde unicum refugium & singulariter salubre consilium, Rege & Principe nostro desti-

tuti ac desolati, nobis omnibus esse consideravimus ut jejniis & orationibus ad eum nos converteremus qui est adiutor in opportunitatibus in tribulatione, & cuius est consilium, ac cuius est regnum, & ut scriptum est, cui voluerit dabit illud, & in cuius manu corda sunt Regum, & facit unanimes habitare in domo, solvens medium parietem, & faciens utraque unum, deprecantes ipsius misericordiam ut daret nobis Regem ac Principem secundum cor

suum, qui in iudicio & iustitia nos in omni ordine ac professione regeret, salvaret, atque defenderet juxta voluntatem ejus, & corda omnium nostrorum unanimiter in eum inclinaret atque uniret quem ipse ad salutem & profectum nostrum praesentem & electum atque praedestinatum habebat secundum misericordiam suam.

I I.

Quia denique voluntate Dei, qui voluntatem timentium se facit, & deprecationes eorum exaudit, in concordia unanimitate nostra videmus hunc regni hujus heredem esse legitimum cui nos sponte commisimus, Dominum videlicet praesentem Regem ac Principem nostrum Karolum, ut nobis praesit & profit, videtur nobis, si vobis placet, ut sicut post illius verba vobis manifestabimus, signo certissimo demonstramus quia illum a Deo electum & nobis datum Principem credimus, & eidem largitori Deo ex suis beneficiis non sumus ingrati, sed gratiarum actiones illi referentes, oremus quatenus & cum nobis ad salutem & defensionem sanctae suae Ecclesiae & ad auxilium atque profectum omnium nostrum cum salute ac pace & tranquillitate nobis conservet diutius & nos fidei devotione illi obsequentes atque optata salvatione fruentes sub illius administratione in suo gubernet servitio.

I I I.

Et si illi placet, dignum ipsi & necessa-

Et posthaec Hincmarus Remorum Episcopus haec quae sequuntur capitula, jubente ac postulante Adventio ipsius civitatis Episcopo ac ceteris Episcopis Trevorum provincia, Attone scilicet Ecclesiae Viridunensis Episcopo, & Arnulfo Tulensis civitatis Episcopo, Francone Tungrensis civitatis Episcopo, combinentibus provinciae Remorum Episcopis, coram Episcopis & Rege cunctisque qui adfuerunt in eadem Ecclesia publice denuntiavit.

C A P. I.

NE alicui forte videatur incongrue ac praesumptiose me ac provinciae nostrae venerabiles coepiscopos facere, quoniam de altera provincia ordinationi & causis hujus provinciae nos immiscemus, sciat nos contra canones sacros non agere, quoniam Remensis & Treverensis Ecclesiae in hac regione Belgica cum sibi commissis Ecclesiis sorores & comprovinciales habentur, sicut auctoritas ecclesiastica & antiquissima demonstrat consuetudo. Ac per hoc unanimi consensu & synodalia ju-

rium nobis esse videtur ut ex ejus ore audiamus quod a Christianissimo Rege fidei & unanimi in servitio illius populo, unicuique in suo ordine, convenit audire ac devota mente suscipere.

Post haec Rex Karolus haec quae sequuntur per se in eadem Ecclesia cunctis qui affuerunt denuntiavit.

Quia sicut isti venerabiles Episcopi unus ex ipsis voce dixerunt, & certis indicibus ex vestra unanimitate monstraverunt, & vos acclamastis, me Dei electione ad vestram salvationem & profectum atque regimen & gubernationem huc advenisse, sciat me honorem & cultum Dei atque sanctarum Ecclesiarum, Domino adjuvante, conservare & unumquemque vestrum secundum sui ordinis dignitatem & personam juxta meum scire & posse honorare & salvare & honoratum ac salvatum tenere velle, & unicuique in suo ordine secundum sibi competentes leges tam ecclesiasticas quam mundanas legem & iustitiam conservare, in hoc ut honor regius & potestas ac debita obedientia atque adjutorium ad regnum mihi a Deo datum continendum & defendendum ab unoquoque vestrum secundum suum ordinem & dignitatem atque possibilitatem mihi exhibeatur, sicut vestri antecessores fideliter, iuste, & rationabiliter meis antecessoribus exhibuerunt.

dicia exercere, & quae a sanctis patribus constituta sunt, debent concorditer custodire, hac privilegij conditione servata, ut qui prior de Remensi & Treverensi Episcopo fuerit ordinatus, prior etiam habeatur.

I I.

Et lex divinitus inspirata praecipit dicens: *Si transferis per messem amici tui colligens spicas, manu confricabis ad manducandum, falcem autem non mittas, vel falce non metas.* Messis est populus, ut Dominus monstrat in evangelio dicens: *Messis quidem est multa, operarum autem pauci.* Deut. 23. Matt. 9.

O iij

te dominum messis ut mittat operarios in messem suam. quia vos pro nobis Episcopis debetis orare, ut vobis digna possimus loqui. Messis autem amici est populus in provincia alteri Metropolitanis commissa. Unde vos hortando, quasi manu operis confricando, ad Dei voluntatem & vestram salutem in corpus unitatis Ecclesie valeamus & debemus traicere. In parrochianos autem provinciarum aliis Metropolitanis commissarum falcem iudicij non mittimus: quia nec est unde, nec nostrum esse consideramus.

III.

Est & alia causa, quia isti venerabiles Domini & confratres nostri provincie istius Episcopi, non habentes metropolitanum Episcopum, exiguitatem nostram sic in suis, sicut & in specialibus nostris causis, nos fraterna caritate iubent & commendent agere. Est ita, Domini fratres? Et responderunt ipsi Episcopi: Ita est.

IV.

Præter ea quæ Dominus Episcopus & frater noster Adventius vobis ex sua & ceterorum suorum ac nostrorum fratrum & venerabilium Episcoporum voce dixit, in hoc etiam animadvertere potestis voluntatem Dei esse ut præsens Dominus & Rex noster, qui in parte regni quam hæcenus tenet & tenuit, & nobis ac Ecclesiis nostris & populo sibi commisso utiliter præest ac præfuit, & salubriter prodest & profuit, inde ad hunc locum Domino ducente pervenerit, (quod etiam vos ejus inspiratione confluxistis & ipsi vos sponte commendastis cujus instinctu animantia omnia in arcam Noë significantem Ecclesie unitatem nullo cogente convenerunt) quia sanctæ memoriæ pater suus Dominus Hludouicus pius Imperator Augustus ex pro-

genie Hludouici Regis Francorum inclyti per beati Remigij Francorum Apostoli catholicam prædicationem cum integra gente conversi, & cum tribus Francorum millibus, exceptis parvulis & mulieribus, vigilia sancti Paschæ in Remensi metropoli baptizati, & cœlitus sumpto chrismate, unde adhuc habemus, peruncti & in regem sacraati, exortus per beatum Arnulfum, à cuius carne idem Hludouicus pius Augustus originem duxit carnis, & à Stephano Papa Romano ante sanctæ Dei genitricis & semper virginis Mariæ altare Remis in Imperatorem est coronatus, & demum factione quorundam terreno imperio destitutus, in prædictam regni partem unanimitate Episcoporum & fidelis populi ante sepulchrum sancti Dionysij eximij martyris Ecclesie sanctæ est redditus, & in hac domo, ante hoc altare protomartyris Stephani, cuius nomen interpretatum resonat coronatus, per Domini sacerdotes, acclamatione fidelis populi, sicut vidimus qui adfuimus, corona regni est imperioque restitutus. Et quia, ut in historicis sacris legimus, Reges quando regna obtinuerunt, singulorum regnorum sibi diademata imposuerunt, non incongruum videtur istis venerabilibus Episcopis, si vestrae unanimitati placet, ut in obtentum regni, unde vos ad illum sponte convenistis, & ei vos commendastis, sacerdotali ministerio ante altare hoc coronetur, & sacra unctione Domino consecratur. Quod si vobis placet, propriis vocibus consonante. Et in hoc conclamantibus omnibus, dixit idem Episcopus: Agamus ergo unanimiter Deo gratias, decantantes Te Deum laudamus.

Et post hæc ab Episcopis cum benedictione sacerdotali est idem Rex coronatus.

